

Contritio an de venialibus, &c. Cap. VI. 9

peccatum penitente: cum poenitentia sit necessaria ad peccatorum remissionem, vt apud D. Lucam constat: sic etiam penitentiae preceptum statim à peccato commisso quo ad actum contrarium de non complacendo, in peccato obligat, ita vt si aliquando placuerit, mortaliter peccetur, si statim actus, de quo complacentia habetur, non prohibeatur: ratio est, quia omne preceptum affirmatum includit negativum de actu contrario obligans pro semper. v.g. preceptum honorandi parentes, includit hoc negativum, scilicet numquam verbo, aut facto parentes inhonorandos.]

29 Nec etiam † diebus festis, Sylvest. in ver. Dominica. q.6. versic. quartum. Sotus, qui supra artic. 6. Nuar. cap. 13. num. 17. [Pater ex Exod. vbi dicitur: Memento, vt diem sabbati sanctifices. Et statim modus sanctificandi subiungitur, scilicet: Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Vbi solum precipitur quies ab operibus corporalibus seruilibus, nō autē à seruilibus spiritualibus, qualia sunt peccata.]

S V M M A R I V M.

- 1 Peccata venialia an indigeant contritione, & num. 3.
- 2 Venialia multis modis remittuntur, & num. 3.
- 4 Peccatum veniale multis modis dicitur, & quibus.
- 5 Peccati detestatio triplex, & quae ex eis requiratur ad dimissionem venialium, num. seq.
- 7 Venialium ad remissionem, duo requiruntur, & ea, quae sint.
- 8 Augustini authoritas in capit. 8. de vera, & falsa poenitentia, quomodo intelligenda.
- Detestatio venialis implicata est in seruenti motu charitatis.
- 9 Propositum in mortalibus, & voluntas abstinendi sufficit in venialibus.

- 10 Aquæ benedicta, & id genus cetera, quomodo intelligantur remittere peccata.
- 11 Aquam non benedictam credens benedictam, accipiens non obuinet veniam.
- 12 Charitatis excitativa tria, qua veniam remissoria causa esse possunt, & que.
- 13 Aqua benedicta virtutem inimici reprimit, si aspersus à mortali sit alienus.
- 14 Confessio generalis, quare in Prima, in Compleorio, & a sacerdote ante altare præmittatur.
- 15 Aqua lustralis an asperso morienti, statim paret aditum in cœlum.
- 16 Peccati venialis triplex genus.
- 17 Peccatum veniale pluribus modis mortale efficitur. & num. 19.
- 18 Pollutio nocturna, quando mortale.

Contritio an de venialibus requiratur. Cap. VI.

I  Irca hanc † presentem questionem triplici modo potest impugnari, quod ad remissionem venialium non sit necessaria contritio. Et primò quod veniale remitti possit absque contritione, patet; quia inquit Aug. Quod facit gutta aquæ in camino ignis, hoc veniale facit in vitro iusto. Ergo videtur, quod remitti possit solo fertiore charitatis absque contritione aliqua. Præterea ad rationem verae contritionis requiritur, non solum detestatio, sed & verum propositum cauendi peccata, sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur, cum certum sit, quod homo sine illis praesentem vitam ducere non possit: ergo venialia possunt remitti sine contritione.

2 Rursus † per benedictionem episcopalem, & aquam benedictam, & multa alia, prædicta venialia dimittuntur, vt est glo. sing. in proh. in 6. in ver. Benedictionem. ergo sine contritione.

3 His † tamen non obstantibus contrarium assueramus, videlicet, contritionem necessariam in venialibus virtua-

B lem,